

DE EXCIDIO THURINGIAE

A1 v.1 Conditio belli tristis, sors invida rerum !
 2 Quam subito lapsu regna superba cadunt !
 3 Quae steterant longo felicia culmina tractu
 4 victa sub ingenti clade cremata jacent.
 5 Aula palatino quae floruit antea cultu,
 6 hanc modo pro cameris maesta favilla tegit.
 7 Ardua quae rutilo nituere ornata metallo,
 8 pallidus oppressit fulgida tecta cinis.
 9 Missa sub hostili domino captiva potestas,
 10 10 decidit in humili gloria celsa loco.
 11 11 Stans aetate pari famulorum turba nitentum
 12 12 funereo sordet pulvere functa die.
 13 13 Clara ministrorum stipata corona potentum
 14 14 nulla sepulchra tenens mortis honore caret.
 15 15 Flammivomum vincens rutilans in crinibus aurum
 16 16 strata solo recubat lacticolor <patrio> ¹.
 17 17 Heu male texerunt inhumata cadavera campum,
 18 18 totaque sic uno gens jacet in tumulo.
 19 19 Non jam sola suas lamentet Troja ruinas :
 20 20 pertulit et caedes terra Thoringa pares.
 21 21 Hinc rapitur laceris matrona revincta capillis,
 22 22 nec laribus potuit dicere triste vale.
 23 23 Oscula non licuit captivo infigere posti
 24 24 nec sibi visuris ora referre locis.
 25 25 Nuda maritalem calcavit planta cruorem
 26 26 blandaque transibat fratre jacente soror.
 27 27 Raptus ab amplexu matris puer ore pependit,
 28 28 funereas planctu nec dedit ullus aquas.
 29 29 Sorte gravi minus est nati sic perdere vitam :
 30 30 perdidit et lacrimas mater anhela pias.
 31 31 Non aequare queo vel barbara femina fletum
 32 32 cunctaque guttarum maesta natare lacu.
 33 33 Quisque suos habuit fletus, ego sola sed omnes :
 34 34 est mihi privatus publicus ille dolor.
 35 35 Consuluit fortuna viris quos perculit hostis :
 36 36 ut flerem cunctis una superstes agor.
 37 37 Nec solum extinctos cogor lugere propinquos :
 38 38 hos quoque, quos retinet vita benigna, fleo,
 39 39 saepe sub umecto conlidens lumina vultu ;
 40 40 murmura clausa latent nec mea cura tacet.
 41 41 Specto libens, aliquam si nuntiet aura salutem,
 42 42 >nullaque de cunctis umbra parentis adest.

1 Les manuscrits ont ici "amati" (. - -), impossible à cette place dans le pentamètre dactylique...
 sauf à supposer, vu le sujet, qu'il s'agit d'une latinisation du mot germanique qui a donné le « heimat »
 moderne, autorisant une prosodie libre (. . _) et faisant l'un de ces jeux de mots précieux dont Fortunat
 semble assez friand. Prudemment, nous avons restitué un « patrio » (solo...patrio), qui paraît imposé par le
 sens de la phrase et qui respecte la métrique.

43 Cujus in aspectu tenero solabar amore
 44 solvit ab amplexu sors inimica meo.
 45 An, quod in absenti te nec mea cura remordet,
 46 affectum dulcem cladis amara tulit ?
 47 Vel memor esto, tuis primaevae qualis ab annis,
 48 Hamalafrede, tibi tunc Radegundis eram,
 49 quantum me quondam dulcis dilexeris infans
 50 et de fratre patris nate, benigne parens.
 51 Quod pater extinctus poterat, quod mater haberi,
 52 quod soror aut frater tu mihi solus eras.
 53 Prensa piis manibus heu blanda per oscula pendens
 54 mulcebar placido fame parva tuo.
 55 Vix erat in spatium, quo te minus hora referret ;
 56 saecula nunc fugiunt, nec tua verba fero.
 57 Volvebam rabidas inliso in pectore curas,
 58 ceu revocareris, quando vel unde, parens.
 59 Si pater aut genetrix aut regia cura tenebat,
 60 cum festinabas jam mihi tardus eras.
 61 Sors erat indicium, quia te cito, care, carerem ;
 62 inportunus amor nescit habere diu.
 63 Anxia vexabar, si non domus una tegebat,
 64 egrediente foris rebar abisse bonas.
 65 Vos quoque nunc Oriens et nos Occasus obumbrat,
 66 me maris Oceani, te tenet unda rubri,
 67 inter amatores totusque interjacet orbis :
 68 hos dirimit mundus quos loca nulla prius.
 69 Quantum terra tenet tantum divisit amantem :
 70 si plus arva forent, longius isses iter.
 71 Esto tamen, quo vota tenent meliora parentum,
 72 prosperius quam te terra Thoringa dedit.
 73 Hinc potius crucior validis onerata querelis,
 74 cur mihi nulla tui mittere signa velis.
 75 Quem volo nec video, pinxisset epistola vultum,
 76 aut loca quem retrahunt ferret imago virum :
 77 qua virtute atavos repares, quas laude propinquos,
 78 ceu patre de pulchro ludit in ore rubor.
 79 Crede, parens, si verba dares, non totus abesses :
 80 pagina missa loquens pars mihi fratris erat.
 81 Cuncti munus habent, ego nec solatia fletus.
 82 O facinus, quae dum plus amo, sumo minus !
 83 Si famulos alii pietatis lege requirunt,
 84 cur, rogo, praeterear sanguine juncta parens ?
 85 Ut redimat dominus vernam, saepe ipse per Alpes
 86 frigore concretas cum nive rumpit aquas,
 87 intrat in excisis umbrantia rupibus antra,
 88 ferventem affectum nulla pruina vetat,
 89 et duce cum nullo, pede nudo, currit amator
 90 atque suos praedae hoste vetante rapit.
 91 Adversas acies et per sua vulnera transit,
 92 quod cupit ut capiat nec sibi parcit amor.
 93 Ast ego pro vobis momenta per omnia pendens
 94 vix curae spatio mente quiete fruor.
 95 Quae loca te teneant, si sibilat aura, requiro,
 96 nubila si volitant pendula, posco locum :
 97 bellica Persidis seu te Bizanthion optat
 98 ductor Alexandriae seu regis urbis opes ?
 99 An Hierosolymae resides vicinus ab arce,
 100 qua est genitus Christus virgine matre Deus ?

101 Hoc quoque nulla tuis patefecit littera chartis,
102 ut magis hinc gravior sumeret arma dolor.
103 Quod si signa mihi nec terra nec aequora mittunt,
104 prospera vel veniens nuncia ferret avis !
105 Sacra monasterii si me non claustra tenerent,
106 improvisa aderam qua regione sedes.
107 Prompta per undifragas transissem puppe procellas,
108 flatibus hibernis laeta moverer aquis.
109 Fortior eductos pressissem pendula fluctus,
110 et quod nauta timet non pavitasset amans.
111 Imbribus infestis si solveret unda carinam,
112 te peterem tabula remige vecta mari.
113 Sorte sub infausta si prendere ligna vetarer,
114 ad te venissem lassa natante manu.
115 Cum te respicerem, peregrina pericla negassem,
116 naufragii dulcis mox relevasses onus ;
117 aut mihi si querulam raperet sors ultima vitam,
118 vel tumulum manibus ferret harena tuis.
119 Ante pios oculos issem sine luce cadaver,
120 ut vel ad exequias commoverere meas.
121 Qui spernis vitae fletus, lacrimatus humares
122 atque dares planctus qui modo verba negas.
123 Quid fugio memorare, parens, quur differo luctus ?
124 De nece germani cur, dolor, alta taces,
125 qualiter insidiis insons, cecidisset iniquis
126 oppositaque fide raptus ab orbe fuit ?
127 Ei mihi, quae renovo fletus referendo sepultos
128 atque iterum patior, dum lacrimanda loquor !
129 Ille tuos cupiens properat dum cernere vultus,
130 nec suus impletur dum meus obstat amor.
131 Dum dare dura mihi refugit, sibi vulnera fixit :
132 laedere qui timuit, causa doloris adest.
133 Perculitur juvenis tenera lanugine barbae,
134 absens nec vidi funera dira soror.
135 Non solum amisi, sed nec pia lumina clausi
136 nec superincumbens ultima verba dedi,
137 frigida non calido tepefeci viscera fletu,
138 oscula nec caro de moriente tuli,
139 amplexu in misero neque collo flebilis haesi
140 aut fovi infausto corpus anhela sinu.
141 Vita negabatur : quin jam de fratre sorori
142 debuit egrediens halitus ore rapi ?
143 Quae feci vivo, misissem lecta feretro ;
144 non licet extinctum vel meus ornet amor.
145 Impia, crede, tuae rea sum, germane, saluti :
146 mors cui sola fui, nulla sepulchra dedi.
147 Quae semel excessi patriam, bis capta remansi
148 atque iterum hostes fratre jacente tuli.
149 Tunc, pater ac genetrix et avunculus atque parentes,
150 quos flerem in tumulo reddidit iste dolor.
151 Non vacat ulla dies lacrimis post funera fratris
152 qui secum ad manes gaudia nostra tulit.
153 Sic miserae dulces consummavere parentes :
154 regius hac serie sanguis origo fuit.
155 Quae mala pertulerim neque praesens ore referrem,
156 nec sic laesa tuo consulor alloquio.
157 Quaeso, serene parens, vel nunc tua pagina currat,
158 mitiget ut validam lingua benigna luem.

159 Deque tui similis mihi cura sororibus haec est,
 160 quas consanguineo cordis amore colo.
 161 Nec licet amplecti quae diligo membra parentum,
 162 osculer aut avidè lumen utrumque soror.
 163 Si, velut opto, manent superis, rogo redde salutes
 164 proque meis votis oscula cara feras.
 165 Ut me commendes Francorum regibus oro,
 166 qui me materna sic pietate colunt.
 167 Tempore longaevo vitalibus utere flabris
 168 et mea de vestro vernet honore salus.
 169 Christe, fave votis : haec pagina cernat amantes
 170 dulcibus et redeat littera picta notis,
 171 ut quam tarda spes cruciat per tempora longa,
 172 hanc celeri cursu vota sequuta levent.

AD IUSTINUM IUNIOREM IMPERATOREM ET SOPHIAM AUGUSTOS

A2

v.1 Gloria summa Patris Natiue ac Spiritus almi,
 2 unus adorandus hac Trinitate Deus,
 3 majestas, persona triplex, substantia simplex,
 4 aequalis consors atque coeua sibi,
 5 virtus una manens idem, tribus una potestas ;
 6 quae Pater haec Genitus, Spiritus ipsa potest.
 7 Personis distincta quidem, conjuncta vigore
 8 naturae unius, par ope luce throno,
 9 secum semper erat Trinitas, sine tempore regnans,
 10 nullius usus egens nec capiendo capax.
 11 Gloria summa tibi, rerum sator atque redemptor,
 12 qui das Justinum justus in orbe caput.
 13 Rite super reges dominantem vindicat arcem
 14 caelesti regi qui famulando placet.
 15 Quam merito Romae Romanoque imperat orbi
 16 qui sequitur quod ait dogma cathedra Petri,
 17 quod cecinit Paulus passim, tuba milibus una :
 18 gentibus et stupidis fudit ab ore salem,
 19 cujus quadratum linguae rota circuit axem
 20 eloquique fide frigida corda calent.
 21 Gloria summa tibi, rerum sator atque redemptor,
 22 qui das Justinum justus in orbe caput.
 23 Ecclesiae turbata fides solidata refulget
 24 et redit ad priscum lex veneranda locum.
 25 Reddite vota Deo, quoniam nova purpura quicquid
 26 concilium statuit Calcedonense tenet.
 27 Hoc meritis, Auguste, tuis et Gallia cantat,
 28 hoc Rodanus, Rhenus, Hister et Albis agit.
 29 Axe sub occiduo audivit Gallicia factum,
 30 Vascone vicino Cantaber ista refert.
 31 Currit ad extremas fidei pia fabula gentes
 32 et trans Oceanum terra Britana favet.
 33 Quam bene cum Domino curam partiris amator !
 34 Ille tuas causas, tu facis ecce suas.
 35 Dat tibi Christus opem, tu Christo solvis honorem :
 36 ille dedit culmen, reddis et ipse fidem.
 37 Nil fuit in terris quod plus daret ille regendi,
 38 nec quod plus reddas quam valet alma fides.
 39 Exilio positi patres pro nomine Christi
 40 tunc rediere sibi, cum diadema tibi.
 41 Carcere laxati, residentes sede priori
 42 esse ferunt unum te generale bonum.

43 Tot confessorum sanans, Auguste, dolores
 44 innumeris populis una medella venis.
 45 Trax Italus Scitha Phrix Dacia Dalmata Tessalus Afer
 46 quod patriam meruit nunc tibi vota facit.
 47 Haec tua laus, princeps, cum sole cucurrit in orbe :
 48 quo genus est hominum huc tuus intrat honor.
 49 Gloria summa tibi, rerum sator atque redemptor,
 50 qui das Justinum justus in orbe caput.
 51 Cui meritis compar nubens felicibus annis
 52 obtinet augustum celsa Sophia gradum.
 53 Quae loca sancta pio fixo colit, ornat amore
 54 et facit hoc voto se propriare polo.
 55 Cujus opima fides Orientis ab axe coruscans
 56 misit ad Occasum fulgida dona Deo :
 57 regina poscente sibi Radegunde Thoringa
 58 praebuit optatae munera sacra crucis,
 59 qua Christus dignans adsumpta in carne pependit
 60 atque cruore suo vulnera nostra lavit.
 61 Gloria summa tibi, rerum sator atque redemptor,
 62 quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
 63 O pietas huc usque rigans de fonte benigno,
 64 cujus amor Christi fundit ubique fidem !
 65 Ecce pari voto, Augusti, certatis utrimque :
 66 ipsa tuum sexum subrigis, ille suum.
 67 Vir Constantinum, Helenam pia femina reddas :
 68 sicut honor similis, sic amor ipse crucis.
 69 Illa invenit opem, tu spargis ubique salutem,
 70 implet et Occasum quod prius Ortus erat.
 71 Gloria summa tibi, rerum sator atque redemptor,
 72 quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
 73 Per te crux Domini totum sibi vindicat orbem :
 74 quo nescita fuit, hoc modo visa tegit.
 75 Accessit genti major fiducia Christi,
 76 quando salutis opem spes oculata videt,
 77 sensibus et duplicata fides, cum munere vestrum
 78 plus animae credant quod cruce teste probant.
 79 Hoc, Augusta, colens, quod apostolus, instat aratro :
 80 tu ligno, hic verbo laetificatis agrum.
 81 Haec jam fama favet qua se septentrio tendit,
 82 Ortus et Occasus militat ore tibi.
 83 Illinc Romanus, hinc laudes barbarus ipse,
 84 Germanus Batavus Vasco Britannus agit.
 85 Pars tua cum cruce sit florens, Augusta, per aevum,
 86 cui facis extremis crescere vota locis.
 87 Hanc prostrata solo supplex Radegundis adorat
 88 et vestro imperio tempora longa rogat,
 89 atque rigans lacrimis conjuncta sororibus optat,
 90 ut hinc vestra fides gaudia larga metat.
 91 Felix Justino maneat cum principe conjux
 92 ordine patricio cincta, Sophia, sacro.
 93 Romula regna regens tribuas sua jura senatus
 94 teque sibi dominam plebs trabeata colat.
 95 Vota superna Deus votis felicibus addat
 96 nec vobis pereat quod Radegundis amat,
 97 assiduo cantu quae pulvere fusa precatur,
 98 temporibus largis ut tibi constet apex.
 99 Voto animo sensu studio bona semper agendo
 100 sit tibi cura sui, sit memor illa tui.

AD ARTACHIN

A3 v.1 Post patriae cineres et culmina lapsa parentum,
 2 quod hostili acie terra Thuringa tulit,
 3 si loquar infausto certamine bella peracta,
 4 quas prius ad lacrimas femina rapta trahar ?
 5 Quid mihi flere vacet ? Pressam hanc funere gentem
 6 an variis vicibus dulce ruisse genus ?
 7 Nam pater ante cadens et avunculus inde secutus
 8 triste mihi vulnus fixit uterque parens.
 9 Restiterat germanus apex, sed sorte nefanda
 10 me pariter tumulo pressit harena suo.
 11 Omnibus extinctis, heu viscera dura dolentis !
 12 Qui super unus eras, Hamalefrede, jaces.
 13 Sic Radegundis enim post tempora longa requiror.
 14 Pertulit haec triste pagina vestra loqui.
 15 Tale venire diu expectavi munus amantis
 16 militiaeque tuae hanc mihi mittis opem.
 17 Dirigis ista meo nunc serica vellera penso,
 18 ut, dum fila traho, soler amore soror.
 19 Siccine consuluit valido tua cura dolori ?
 20 Primus et extremus nuntius ista daret.
 21 Nos aliter lacrimis per vota cucurrimus amplis,
 22 non erat optanti dulcia amara dari.
 23 Anxia sollicito torquebar pectora sensu :
 24 tanta animi febris his recreatur aquis.
 25 Cernere non merui vivum nec adesse sepulchro,
 26 perferor exequiis altera damna tuis.
 27 Cur tamen haec memorem tibi, care Artachis alumne,
 28 fletibus atque meis addere flenda tuis ?
 29 Debueram potius solamina ferre parenti,
 30 sed dolor extincti cogit amara loqui.
 31 Non fuit ex longa consanguinitate propinquus,
 32 sed de fratre patris proximus ille parens.
 33 Nam mihi Bertharius pater, illi Hermenefredus :
 34 germanis geniti nec sumus orbe pari.
 35 Vel tu, care nepos, placidum mihi redde propinquum
 36 et sis amore meus quod fuit ille prius,
 37 meque monasterio missis, rogo, saepe requiras
 38 ac vestro auxilio stet locus iste Deo,
 39 ut cum matre pia vobis haec cura perennis
 40 possit in astrigero reddere digna throno.
 41 Nunc Dominus tribuat vobis felicibus ut sit
 42 praesens larga salus, illa futura decus.

VERSUS AD SIGIMUNDUM

A4 v.1 Christicolas animas haec conscia cura fatigat,
 2 ut circa cunctos stet sine labe salus.
 3 Ast ego prae reliquis circum tua lumina pendens
 4 qui venit atque redit prompta requiro frequens ;
 5 sollicitis oculis volitantia flabra recurro,
 6 quando vel unde tui nuntiet aura boni.
 7 Hoc tibi praecipue mea dulcis epistola signet,
 8 quod dolor atque metus sit tuus ille meus ;
 9 et quia nos animo cognoscis currere tecum,
 10 det de te incolomi pagina missa fidem.

DE CHILDEBERTO REGE

A5 v.1 Rex regionis apex et supra regna regimen,
 2 qui caput es capitum, vir capitale bonum,
 3 ornamentorum ornatus, ornatus ornans,
 4 qui decus atque decens cuncta decenter agis,
 5 primus et a primis, prior et primoribus ipsis,
 6 qui potes ipse potens, quem juvat Omnipotens,
 7 dulcia delectans, dulcis dilecta potestas,
 8 spes bona vel bonitas, de bonitate boans,
 9 digne nec indignans, dignos dignatio dignans,
 10 florum flos florens, florea flore fluens,
 11 Childeberte cluens, haec Fortunatus amore
 12 paupere de sensu pauper et ipse fero.
 13 Audulfum famulum commendo supplice voto,
 14 me quoque : sic nobis hic domineris apex.

DE BRUNICHILDE REGINA

A6 v.1 Regia progenies, praecelsi et mater honoris,
 2 undique regnantum cincta decore pio,
 3 Gallia cujus habet genus et Hispania fetum,
 4 masculus hinc moderans, inde puella regens.
 5 Auspiciis felix sit prosperioribus annis :
 6 hic tegat Allobrogas, dirigat illa Getas,
 7 gentibus et geminis pariter tua germina regnent
 8 et tibi det fructus iste vel ille locus,
 9 quo te circumdet, pia, blanda corona nepotum,
 10 de genito et genita bis genitalis ava.
 11 Illos auditu, hos visu laeta recensens,
 12 praesens hinc gaudens, inde sed aure favens
 13 subque tuis cernens regiones mater utrasque
 14 cum populo et patria laetificeris ava.
 15 Audulfum famulum commendo, me quoque secum
 16 sic maneat cunctis gloria vestra nitens.

ITEM ALIUD AD AGIULFUM

A7 v.1 Nomen dulce mihi, mihi semper amabile nomen,
 2 omnibus unanimis, plus mihi mente nitens,
 3 qui corde amplectens cunctos tibi reddis amantes,
 4 dum colis et coleris, carus haberis apex,
 5 moribus excellens, Agiulfe, benigne sodalis,
 6 praecipuis dominis qui famulando places,
 7 vir bonitate decens, concordia vincita per omnes,
 8 laetitiae facies, pectore fida fides
 9 stet tuus amplius honor longe his regnantibus annis
 10 illorumque salus sit tibi, care, decus.
 11 Supplicio commender per te dominantibus altis :
 12 sic valeas felix, dum tenet ista dies.
 13 Audulfum proprium commenda, magne, relatu :
 14 sic tua vita decens hoc sit in orbe manens.
 15 Regale ad votum felicia cuncta sequantur
 16 detque Deus vobis tempora temporibus.

EPITAPHIUM NECTARII

A8 v.1 Triste sub hoc tumulo crudeli funere rapti
 2 Nectarium juvenis membra sepulta jacent.
 3 Ipse quater quinos valuit superesse per annos,
 4 quem fugiente die mors inimica tulit.
 5 Hic Proculo genitore satus, sed sorte nefanda

6 ante tenet lacrimas quam sua vota parens ;
 7 gratus in aspectu, sensu moderatus opimo,
 8 qualem non puduit spem generasse patrem.
 9 Sunt tamen ingenti solacia magna dolori ;
 10 quodquod in orbe venit non sine morte manet ;
 11 haec via pauperibus, haec est et regibus una,
 12 sed vivit semper quem bene facta fovent.

VERSUS PRO POMIS DIRECTIS

A9 v.1 Cardinis occidui regio quae sumpsit ab ortu,
 2 mittit amicalis dulcia poma manus ;
 3 haec quoque quae nostro pendentia vidimus horto,
 4 admonet affectus munera ferre pius.
 5 Non animi metuant, haec sunt quod ab arbore carpta :
 6 jam fraus nulla nocet quod paradisos habet ;
 7 namque redemptrici postquam in cruce Christus adhaesit,
 8 per lignum rediit quod prius Eva tulit ;
 9 jam meruit mulier purgari crimine sexus :
 10 mors fuit illa vetus, virgo novella salus.
 11 Et quia sic vestrum tribuunt elementa paratum,
 12 misimus exiguum quod dedit unda cibum.
 13 Deprecor ergo pares vel poma vel ostrea fratres :
 14 eligat alterutrum, quod sibi majus amat.
 15 Sed Dagulfum haec rumpat cervesia tristis,
 16 faece lagunari turbida, tendat ydros :
 17 faucibus in stupidis talem bibat ille liquorem,
 18 tam male sinceram qui vitiavit aquas.
 19 At sicuti meritis exposcit opima voluntas,
 20 dulcia vineti Dracco Falerna bibat.
 21 Hoc tamen in domino, qui te regat, oro benigne,
 22 rite salutetur mi Papiana soror ;
 23 addo preces pariter : capias sic munera Christi :
 24 ne tibi post uxor, sed sit honesta soror.
 25 Quid ventura dies portat nescimus in orbe ;
 26 quis morti obsistat, si furibunda ruit ?
 27 Furem animae nemo ante videt quam tollere possit,
 28 nec placito poterit dissimulare diem.
 29 Causa cavenda prius, subito quam mergat ad umbras,
 30 est ubi nemo parens nec levat ulla manus.
 31 Sed bene quod placuit constanti perfice voto,
 32 ne spatium rediens mors inimica neget ;
 33 nunc meliora tene, jam, quod fuit, inde recede
 34 et cape caelestes huc redivivus opes.
 35 Per Dominum votis utraeque rogamus utrumque,
 36 detur ut in nostro filia vestra sinu ;
 37 officio vestro ad nos migrat cura parentum,
 38 vos generando utero, nos refovendo sinu.

ITEM ALIUD

A10 v.1 Dulcibus alloquiis quae fabula fertur in ore ;
 2 si mihi jam placidas mensa benigna tenet,
 3 placatos animos tabula redeunte notate,
 4 prodat ut affectum littera picta manu.
 5 Dulcis amore pio pariter materque sororque
 6 gaudia festivo concelebrate sono.

ITEM ALIUD

A11 v.1 Hodie festum celebravi diem, in orbem

2 Domini natalem sacratum venisse diem.
 3 Ubique inprimis venerunt caseum...
 4 Dein veniunt lignea scutella rotata...
 5 Carnem, pullum simul discus ornatus undique...
 6 Temporis quae spacio cunctis feras cibos in ore
 7 et a cunctis longum sem...
 8 Domina super te et te simul semper cum ipsa
 9 qui die noctuque melliflua diffundis ab ore.

ITEM ALIUD

A12 v.1 Dum volo carminibus notum percurrere plectrum,
 2 incipio solito pigrius ire pede,
 3 nec mihi doctiloqua consentit harundine Musa,
 4 quae desueta suum pandere nescit opus.
 5 Sed quamvis dubio trepident mea corda relatu,
 6 audacter solo pruntus amore loquor.
 7 Cara benigna decens dulcis pia semper habenda,
 8 cujus in affectu stat mihi patris honor,
 9 per quam, quae genuit, recolunt mea viscera matrem,
 10 et mores aviae te renovante colo,
 11 suppliciter humilis verbo trepidante saluto,
 12 commendans animam sed famulando meam,
 13 et pariter natam, peperit quam gratia cordis :
 14 quas rex caelorum servet in orbe diu.

ITEM ALIUD

A13 v.1 Sic vos Caesarii monitis honor ornet in orbe
 2 atque ambas caro cum Patre Christus amet ;
 3 sic hic Caesaria et praecelsa Casaria surgat,
 4 ut per vos priscus hic reparetur honor ;
 5 gratia sic talis niteat, qua crescat in aevo
 6 per vos Pictavis Arelatense decus ;
 7 sic pie caelesti mereamur vivere regi
 8 et mea vobiscum membra sepulchra tegant.
 9 Si quod in offenso retinetur pectore murmur,
 10 in vice laxatum sit veniale precor ;
 11 pacem Christus amans, mira dulcedine plenus,
 12 pectora vestra sacer se mediante liget.
 13 Obtineat pariter veneranda Casaria mecum,
 14 quae simul amplexu vos cupit esse pio.

ITEM ALIUD

A14 v.1 Quam prius inscribam fixam pietate parentem,
 2 quo geminae matres, extat et una soror.
 3 Hanc praeponit honor, quae junior extat in annis ;
 4 his aetas gravior jure senile favet.
 5 Sed mihi dulce tribus pariter mandare salutem,
 6 est quoniam vobis carus et unus amor.
 7 Felix quae retinet pariter tria lumina mensa
 8 et paschale bonum multiplicare facit !
 9 Angelico coetu sic participante fruuntur
 10 deliciae vobis in regione Dei.

ITEM ALIUD

A15 v.1 Nocte salutifera maneant materque sororque :
 2 hoc nati et fratris prospera vota ferant.
 3 Angelicus coetus praecordia vestra revisat
 4 et regat alloquiis pectora cara suis.

5 Tempora noctis agunt, ut hac brevitatem salutem,
6 sex modo versiculis ; vel duo ferte, precor.

ITEM ALIUD

A16 v.1 Quamvis quod cuperem fugeret me vespere facto,
2 te mihi non totam nox tulit ista tamen :
3 etsi non oculis, animo cernuntur amantes ;
4 nam quo forma nequit, mens ibi nostra fuit.
5 Quam locus ille pius qui numquam abrumpit amantes,
6 quo capiunt oculis quos sua vota petunt
7 in medio posito bonitatis principe Christo,
8 cujus amore sacro corda ligata manent !
9 Hic quoque sed plures sint carmina iussa per annos
10 hinc rapias tecum, quo tibi digna loquar.

ITEM ALIUD

A17 v.1 Plaudite voce Deo, pia reddite vota, sorores,
2 quod sic vobiscum gaudia tanta sedent.
3 Me foris excluso vos hanc retinetis amantes :
4 quod commune placet, non simul esse licet.
5 Haec longaeva diu maneat per singula nobis
6 floreat et cunctis participanda bonis.

ITEM ALIUD

A18 v.1 Cuncti hodie festiva colunt : ego solus in orbe
2 absens natali conqueror esse tuo ;
3 qui si forte latens alia regione fuisset,
4 ad vos debueram concitus ire magis.
5 Nunc alii tibi dant, ego munera nulla sorori,
6 vel dare qui potui pomula, mora loci.
7 Sed quamvis absens specie, sum pectore praesens
8 et rogo, quae misi dona libenter habe.
9 Sic Deus Omnipotens parcat matri atque sorori,
10 quae non egerunt me retinere sibi.
11 Haec pia festa diu multos, senis ipsa, per annos
12 laeta matre simul, me quoque fratre colas.

ITEM ALIUD

A19 v.1 Haec mihi festa dies longos superinstet in annos,
2 gaudia magna ferens haec mihi festa dies.
3 Praestet amore Deus tam prospera vota per aevum,
4 Martini meritis praestet amore Deus.
5 Participata mihi vobiscum haec gaudia Christus
6 servet in orbe diu participata mihi.
7 Mitis in aure sonus suavi dulcedine tinnit,
8 organa vocis habens mitis in aure sonus.
9 Blandior esca favis vestra de fauce rigavit
10 et nova mella dedit blandior esca favis.
11 Huc variante choro vox inde rotata cucurrit,
12 sensibus angelicis huc variante choro.
13 Carmina sancta diu vox illa ministret ab ore
14 et recreent animas carmina sancta diu.

ITEM ALIUD

A20 v.1 Sollicitat famulum dominae sua cura benignae,
2 qualiter a vobis laeta sit acta dies ;
3 nam dum plaudis ovans, mea sunt tua gaudia majus :
4 tunc mihi vota favent, dum tibi membra vigent.

5 Si vale jam fecit, spectet bona nostra parumper,
6 nec sub nocte volet : stet veniente die.

ITEM ALIUD

A21 v.1 Sic esterna dies totas mihi transtulit horas,
2 ut matris vocem non meruisse querar.
3 Qualiter agnus amans genetricis ab ubere pulsus
4 tristis et erbosis anxius errat agris ;
5 nunc fugit ad campos feriens balatibus auras,
6 nunc redit ad caulas, nec sine matre placent ;
7 sic me de vestris absentem suggero verbis ;
8 vix tenit incluso nunc domus una loco.
9 Sed refero hinc gratis placidae caraequae sorori,
10 quod me consoluit de pietatis ope.
11 Tu retines medium, medium me possedet illa :
12 cum geminas video, tunc ego totus agor.
13 Nunc tibi, cara, precor Martinus, Hilarius adstent,
14 et te vel natos spes tegat una Deus.

ITEM ALIUD

A22 v.1 Si nequeo praesens, absens tibi solvo tributum,
2 ut probet affectum, mater amata, meum.
3 Si non essem absens, facerem quodcumque juberet
4 obsequiis parvis forte placeret iners.
5 Pectore devoto set rustica lingua dedisset
6 pastoris calamo matris in aure sonum ;
7 imperiis famulans tererem mea membra diurnis,
8 servirent dominae subdita colla suae ;
9 nulla recusarent digiti, puteoque profundo
10 quae manus hoc scripsit prompta levaret aquas ;
11 protraheret vites et sarcula figeret hortis,
12 plantaret, coleret dulce libenter holus.
13 Splendor erat tecum mea membra ardere cocinae,
14 et nigra de puro vasa lavare lacu.
15 Hinc tibi nunc absens Marcelli munera misi,
16 cui dedit excelsum vita beata locum ;
17 et si displiceant indigno verba relatu,
18 conplaceant animo signa superna tuo.
19 Sis longaeva mihi cum nata et messe sororum
20 virgineoque choro crescat ovile Dei.
21 Si tua verba dares, essent plus dulcia quam si
22 floribus electis mella dedisset apes.

ITEM ALIUD

A23 v.1 Flumine nectareo meritis mihi dulcior Agnes,
2 quam praesente Deo pectore, mente colo,
3 aspice quam celeri mutantur cuncta rotatu,
4 dum veluti pinnis tempora nostra volant.
5 Casibus incertis scripulos nescimus et horas ;
6 cras sit homo an non sit quis dabit inde fidem ?
7 Arboris oppressit hodie nix alta cacumen
8 duraque ramorum brachia curvat hiems :
9 crastina forte dies puro si fulserit ortu,
10 si qua pruina jacet, sole calente liquet.
11 Sic quoque mens hominum dubio de fine salutis
12 ignorat quantum vivere vita queat.
13 Sed quoniam vario transcurrunt omnia lapsu,
14 quem numquam perdas dilige corde sagax :

15 sit tibi Christus honor, Christus spes, Christus amator,
 16 in solo semper fige salutis opem ;
 17 temporibus cunctis hunc per tua viscera volve :
 18 sic sponso servent membra pudica fidem.
 19 Si sopor obripiat, retinendo in pectore Christum
 20 tempore sub noctis luminis arma geris ;
 21 illum mente colens muro tutaris opimo
 22 et si latro furit, pax tua corda tegit.
 23 Hujus in amplexu te totam effunde licenter :
 24 illum quisquis habet crimina nulla timet.
 25 Hoc age ut, ad thalamos cum venerit arbiter orbis,
 26 visceribus puris immaculata mices ;
 27 lampade fulgenti tunc te veniente sorores
 28 excipiant laeto Thecla, Susanna choro.
 29 Haec modo dum redeo breviter mandata relinquo :
 30 tu quoque, dum religis, me memorare velis.

ITEM ALIUD

A24 v.1 Anxius, afflictus curarum pondere curvor,
 2 pectore confuso nec dare verba queo ;
 3 murmure sub dubio laceror neque carmina laxo,
 4 nescio certo loqui mente vacante mihi.
 5 Heu, tristem si vota velint audire fatentem,
 6 me subito ferrent nubila missa tibi ;
 7 Daedalico lapsu si pinnas sumere nossem,
 8 ad vos quantocius jam revolasset amans :
 9 novit enim Dominus, qui corda latentia pulsat,
 10 quae mea, sed tacite, viscera cura domet.
 11 Reddite, cum nequeo, dominae promissa benignae ;
 12 nec tamen hic culpam crede fuisse meam :
 13 excusa, si forte potes, per sidera testor,
 14 me neque velle moras matris in aure feras.
 15 Oret pro famulo : citius remeare parabo,
 16 et cum praesentor, verbere, voce domet.

ITEM ALIUD

A25 v.1 Supplicibus votis referat mandata salutis
 2 matribus ac dominis pagina missa loquens,
 3 dumque recusat iter nostrum tibi reddere vultus,
 4 affectum saltim sollicitudo probet.
 5 Nec sumus absentes, si nos oratio dulcis
 6 praesentes semper cordis amore tenet.

ITEM ALIUD

A26 v.1 Matri natus ego, frater simul ipse sorori
 2 pectore devoto parvula dona fero.
 3 Tertius unitus tria munera porto duabus :
 4 tam dulces animas dulcia poma decent.
 5 Sed date nunc veniam mihi quod fano talis habetur
 6 munera quae portet, charta canister erit.

ITEM ALIUD

A27 v.1 Hoc tibi pro summo direxi munere signum,
 2 ut pariter fratres crux tegat una duos ;
 3 alternis vicibus haec pectora nostra gubernet
 4 et commune bonum participetur amor.
 5 Ad te quando venit, mecum magis ista manebit ;
 6 plus mihi proficiet, cum tua corda tenet.

7 Sit hujus species intra tua viscera semper,
 8 tunc ibi perpetuam Christus habebit opem,
 9 In cruce sacrata qui tunc pietate pependit,
 10 haec tibi cum pendit, porrigit ille manum.
 11 Communem matrem venerando voce saluto,
 12 quae maneat vobis consociata diu.

ITEM ALIUD

A28 v.1 Dulcis opima decens, cui tanta est cura laboris,
 2 ut tibi sit modico semine magna seges,
 3 quae modo membra libens fugitivo tempore lassas,
 4 cum Christo dabitur perpetuanda quies.
 5 Os, ubi nempe paras sudanda sororibus escas,
 6 undis et flammis hinc riget, inde calet.
 7 Assiduis votis inter tua brachia volvor
 8 atque meos animos sarcina vestra terit.
 9 Nunc faciendo focos epulasque coquendo recurris,
 10 nec valeo matrem quippe juvare piger.
 11 Filia sed portet praesens onus omne vicissim
 12 et reddat pondus participanda leve.
 13 Det pius auxilium mundi reparator utrisque
 14 atque diu pariter hanc foveatis opem.

ITEM ALIUD

A29 v.1 Pergimus inclusas a gurgite cernere terras,
 2 qua vagus Oceanus fertque refertque vices,
 3 fluctibus assiduis cum surgit ad aethera pontus,
 4 huc feritate sua mobilis unda latrat ;
 5 litus arena suum refugit, nunc suscipit aestu,
 6 nunc, mare dum turget, naufraga terra latet ;
 7 quo gelidum abscessit rediens hoc occupat ardor,
 8 atque loco huc una sunt tria dona Dei.
 9 Quamvis sit sterilis, fructus fert illa beatos,
 10 dum caelo dignos pascit harena viros.
 11 Ast ego vel si qua sine vobis urbe tenerer,
 12 inter multa tamen milia solus eram.
 13 Cernere vos laetas merear, materque sororque,
 14 cum venit excelsi cena beata Dei.
 15 Si citius redeat frater Simplicius, oro,
 16 a me mandatae ferte salutis opus ;
 17 et rogo per vestras me commendate sorores :
 18 sic faciat cunctas Christus amore suas.

ITEM ALIUD

A30 v.1 Audivi, fateor, jejunia longa parari :
 2 ad me si veniant, non toleranda gravant.
 3 Expavesco famem quae jam vicina susurrat,
 4 ne parietis iter transeat illa celer.
 5 Mox quoque diffugiens vacuis me abscondo cavernis,
 6 dum modo jejuno non ego ventre domer.
 7 Sed si nunc alios pietas et gratia pascit,
 8 de me nulla mihi causa timoris erit.

ITEM ALIUD

A31 v.1 In brevibus tabulis mihi carmina magna dedisti,
 2 quae vacuis ceris reddere mella potes.
 3 Multiplices epulas per gaudia festa ministras,
 4 sed mihi plus avido sunt tua verba cibus :

5 versiculos mittis placido sermone refectos,
6 in quorum dictis pectora nostra ligas.
7 Omnia sufficiunt aliis quae dulcia tractant,
8 at mihi sinceros det tua lingua favos.
9 Supplico me recolas inter pia verba sororum,
10 verius ut matrem te mea vota probent ;
11 omnibus et reliquis te commendante reformer,
12 ut per vos merear quod mea causa rogat.